

Tentamen physiologicum inaugurale, de secrezione glandulari ... / [James Hendy].

Contributors

Hendy, James.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1774.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xuuzg2v7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




28, 360/B






Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30547076>





TENTAMEN PHYSIOLOGICUM
INAUGURALE,
DE
SECRETIONE GLANDULARI:

Q U O D,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, SS. T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
J A C O B U S H E N D Y,
BARBADOENSIS.

Soc. Med. Edin. Soc.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis,

E D I N B U R G I:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIV.



308177

Patri suo Optimo,
J A C O B O H E N D Y,

Apud Barbadoenses
Mercaturam facienti,
Viro omnibus dilectissimo,
Virtutibusque multis quam maxime insignito;

Nec non,

G U L I E L M O H A R R I S O N,
A R M I G E R O,

Filio patre suo excellentissimo
Haudquaquam indigno,
Cujus industriae indefessa, ingeniique acumini,
Cum paternis conjuncto,
Longitudinem tandem repartam
Britannia haud immerito refert,
Ob amicitiam illam intemeratam,
Qua sese hucusque prosecutus est,
Quaeque in causa est,
Cur eum pro parente semper habuerit;

Hanc dissertationem
Sacram esse
Voluit

A U C T O R.

W^r Martineau
from his sincere friend
J^r. Hendy

A U C T O R

TENTAMEN PHYSIOLOGICUM,

D E

SECRETIONE GLANDULARI.

DEFINITIO GLANDULARUM.

GLANDULAE sunt sanguiferi lymphaticique systematum appendices, quae, humoribus ad se adductis mutationes inferendi, vel partes a mappa fluidorum generali quasdam separandi, potestatem habent. De quarum natura modoque agendi, in hac dissertatione academica agetur; non quidem quod nosmet aliis, in hoc argumento illustrando, longe praestare posse existimaverimus; caeterum quod secretio glandularis pars physiologiae, quae accuratissime investigetur, dignissima fuerit visa.

Argumentum in tres sectiones nostrum dividemus. In prima, structuram glandularum generalem nostraeque definitionis veritatem exequemur, brevi-

A

usculam

usculam nostrae glandularum divisionis tabulam subjicientes ; deinde strictius de hisce glandulis, quas systematis sanguiferi appendices appellamus ; et proxime de illis, quas systematis lymphatici proprias esse opinamur, verba faciemus. Opiniones, in sectione altera, de modo quo massam humorum generalem immutent, vel aliquid ab eadem separent, usitatissimas referemus ; nec quae singulis harum possint objici silentio praetermittentur. Conjecturam, sectione in tertia, de modo secretionis magis probabilem in medium proferemus, argumenta, quae ad hanc opinionem sustentandam conferant, commemorantes.

S E C T I O I.

DE STRUCTURA GLANDULARUM.

C A P. I.

De Structura Glandularum generali.

Pars fabricae animalium nulla est, quae plus attentionis anatomicorum in se converterit, quam glandularum structura ; et haud dubie, si quam vitae

vitae et valetudini commodaे functiones illarum sint necessariae diligenter spectaveris, investigationem accuratissimam jure meretur. Namque hanc rite perspectam nisi habebimus, vix fieri potest quin modus, quo glandulae mutationes humoribus nostris tam evidentes inferant, nos ex toto lateat. Omnis quidem in hac parte medicinae progressus, nisi fundamento hujuscemodi jacto, vagus et incertus sit oportet.

Diligentiam autem indefessam, cum ingenio optimo conjunctam, ad hunc et quoslibet alias naturae sapientis recessus altos et reconditos explorandos, opus esse notandum. Caeterum, ingenium et industria sunt dotes inter se longe diverse, rarius in eodem consociatae; nonnulli tamen non defuerunt, qui his utrisque fuerunt beati. Quibusunque vero hoc contigit, in causa fuit, cur lucem obscurioribus, iisque summi momenti, pleniorum offuderint. Exemplum hujuscemodi praebent complures artis medicinalis professores. Hanc autem investigationem difficilem fuisse, et utrasque dotes humanas, supra positas, inter se conjunctas depositulasse, ex hujus anatomiae partis historia, nostro judicio, quam facillime discimus. Quinetiam lites anatomicorum celebrium super hoc argumento minuto et perplexo obser-
vantes

vantes recentiores multis erroribus obnoxios effecerunt. Namque historia medicinae parum quondam abfuisse testatur, quin omnes ubique gentium medici glandulas omnes vel vesiculas vel folliculos esse, Malpighio ingenioso fuerint assensi. Argumenta, per quae hic vir illustris theoriam suam, eaque per quae Boerhaavius eandem, propugnaverunt, tantam ei probabilitatem pondusque conciliarunt, ut verisimillimum sit ad tempus praefens usque mansuram fuisse, nisi Ruyschius celeberrimus in sententiam Malpighianae prorsus contrariam ivisset, opinionemque longe diversam, non quidem ex toto novam, Edmунdum etenim King, Nehemiah Grew, et aliquot alios, qui ante Ruyschium floruerint, eadem omnino de glandulis sensisse comperimus, ut ex operibus suis in lucem editis evidenter patefit, in medium protulisset. Hunc autem anatomicum accuratissimum doctrinam Malpighianam, ante omnes alios, subruisse fatendum est, utpote qui arte propria secreta structurae humanae evidenter effecerit, inque conspectum dederit. Non tantum etenim conclusionibus Malpighii minime refellenda objecit, sed sententiam suam fundamento optimo et stabilissimo, viz. experimentis claris et certis, innixam reliquit. Primus, quod

honori aeterno erit, per injectiones accuratissimas corpuscula, quae olim pro folliculis, vesiculis, cryptisve haberentur, nihil aliud quam vasorum congeriem esse demonstravit. Et haud dubie, si res ita sese habet, argumenta a statu morbido petitam fallacia sint oportet. Sin vero structuram glandularum follicularem esse concederemus, et argumenta a statu morbido deduci non vetaremus; conclusio tamen, his datis, me judice, etiamnum falsa foret. Argumenta autem hujuscemodi apud elementa physiologiae Halleriana repieres. Quod hanc opinionem primum convellit, est, quod hae vesiculae morbidae in locis ubi glandulae nunquam reperiuntur, velut in textura partium corporis diversarum cellulosa, saepius offenduntur. Cum in glandulis comperiuntur, quod quidem frequenter evenit, praesertim si secretiones in illis pergere, et humores, quo minus ex illis per ductum excretorium exeant, obstructiōnibus prohiberi ponamus; nonne ratio est, cur vesiculos per humoris, qualiscunque sit, quem glandula fecernat, accumulationem aductum irisperemus? Hoc autem non accidit, ut ex hydatidibus hepatis, caeterisque, patescit.

Si quis doctrinae Malpighianae oppugnatores, undenam hae vesiculae morbidae oriantur, cum

6 D E S E C R E T I O N E

a vesiculis distensis, quas quoque, ut structurae glandularum, statu saltem in fano, minime proprias, expellunt, originem deducere negent, probare debere putaverit; affirmare audemus, optima auctoritate confisi, loculis telae cellulofae non-nunquam innasci, et a spatii, quod inter valvulas vasorum lymphaticorum intercedat, distentione non raro proficiisci. Pars unica ubi hydatides, nullis vasibus lymphaticis hucusque demonstratis, occurunt, est cerebrum; caeterum argumenta a Monroio Heusonioque allata huic organo vitae pernecessario haudquaquam deesse, admodum probabile effecerunt. Tysonius a vermibus, non-nullis in exemplis, proficiisci putavit; et eandem in sententiam aliqui judicio satis acres concesse.

Licet doctrinae Malpighianae auctores complures sint adversati; Ruyshius tamen, ut qui fundamentis ab imis eam everterit, principem sibi honorem, et non immerito, vindicat. Quodcumque commodi hinc profluit, id omne illi debetur; namque, nisi per artem suam difficultatibus, quae investigationem adeo perplexam concomitantur, nos liberaffet, haec forsitan multaeque aliae anatomiae partes minutae nos hucusque fugissent. Haec ars vero ab anatomicis hodiernis, potissimum

mum ab Heufonio indefesso, adeo exulta et aucta est, ut clarius certiusque hoc de argumento possumus differere.

C A P. II.

De Glandularum Varietate, &c.

Plerique scriptorum, quos consuluimus, alii ab habitu externo, alii a structura interna, glandulas definierunt; characterem vero sive ab hac sive ab illo deductum admodum imperfectum esse, quam facile patescit. Nam, si figuram externam tantum spectamus, magna, quae in glandulis occurrit, diversitate inducti complures a numero illarum, quas tamen glandulas non immerito appellare consueverimus, excluderemus. Cum hepar, cum testiculi sunt glandulae, quam diversa tamen illis est facies externa? Res non aliter sese habebit, si structuram internam exploraverimus; diversitas enim in hac insignis est. Quaedam glandulae partibus nonnullis prorsus, uti videtur, necessariis, lien, &c. ex. gr. ductibus excretoriis, vel eo faltem quod aliis in glandulis ita nominamus, deficiuntur. Et cum quidem omnes, quas defini-

nitio

nitio comprehendat, partes adsunt, viz. arteriolarum, venularum, nervulorumque congeries; haec tamen ramulos modis inter sepe ita diversis dimit-tunt, ut glandulae partibus ex iisdem conflari vix videantur; quod, pancreate cum rene vel hepate collato, plane perspicueque notabis. Haec magna autem varietas, me judice, est expectanda, si organa singula effectum sibi proprium edere oportere consideraveris; nam, si magnitudo et struc-tura ubique essent eadem, quidnam aliud, quam ut omnes glandulae idem omnino praestarent, spe-rare possemus? Insuper exempla non desunt, ubi in lympham coagulabilem per porum organicum tantum, vel, quod magis probabile est, per arteriam exhalantem, mutatio editur. Quanta defini-tionem ab illis harum rerum circumstantium pe-tendi difficultas sit, confitetur Hallerus, et igitur glandularum functiones sub sua comprehendit. Has executus, quae sequuntur, subjecit. ‘Ex his
 ‘ omnibus colligitur, glandularum et organorum
 ‘ secretiorum magnam varietatem esse, et parum
 ‘ omnino videri, quod diversae glandularum clas-ses commune habent, cum neque fabrica conve-niant, neque facie, neque functione; ut omni-no aegre definitionem invenias.’ Si definitio a nullis ex hisce rebus circumstantibus possit de-duci,

duci, glandulae inexplicitae tenebrisque involutae
maneant necesse est; sed eas, functione sua gene-
rali rite perpenfa, definiri posse opinamur. Defi-
nitionem igitur hujuscemodi excogitavimus, non
quod eam ab omni parte absolutam esse putemus,
sed quod ab errore maxime aliena esse videatur,
et quod paucissima illi objici possint; nam haec or-
gana, quae fecernant, glandulas appellari confue-
visse neminem fugit. Quinetiam idem nomen
illis quoque organis, velut lienii caeterisque, quae
munere non absimili fungi suspicamur, indere
solemus. Donec vero usus illorum melius inno-
tuerit, ea potius glandulas esse conjicimus, quam
pro certo affirmamus, eo potissimum inducti, quod
organa, quae pro glandulis ab omnibus habeant-
tur aliquantulum reddant. Glandulas sanguiferi
lymphaticique systematum appendices esse posui-
mus; namque unum sanguini partes corporis in
omnes diffundendo non tantum infervire, nec al-
terum humores e cavis diversis solum absorbere,
eosdemque ad cor immutatos rursus revehere;
caeterum utriusque horum potestatem, qua in hu-
mores, quos vehat, agat, propriam esse, conclu-
dimus. Rem ita, quantum ad sistema arteriosum
attineat, sese habere, ab Heufonio ingenioso, qui
lympham coagulabilem, arteriis alio modo agen-

tibus, aliam esse notaverit, luculenter est demonstratum. Huic conclusioni quidem objectum est, quod res circumstantes leviculae conditionem sanguineam, unde fuerit deducta, admodum immutare consueverint. Caeterum, in exemplis Heusonii, omnes res circumstantes externae eadem fuerunt, arteriae ipsae solummodo, temporibus diversis, viribus diversis agere compertae sunt. Gregorius, Professor noster celeberrimus, non adeo pridem, proh dolor! fato acerbo praereptus, in praelectionibus suis practicis idem asseverat, se sanguinem diversum qui, eodem tempore detrac-tus, vasculis diversis esset receptus, vidisse testatus; licet sanguinis cursus et omnia alia immutata forent. Heusonius mutationem, his in exemplis, a statu actionis systematis arteriosi mutato pendere, diligenter observando experimentaque caute instituendo, compertus est. Hoc igitur illi assentimur, viz. sistema arteriosum partis sanguinis cujusdam, nempe lymphae coagulabilis, dotes posse mutare. Hinc cogere nobis licere putamus, glandulas quasdam ad hocce sistema fuisse adjectas, quae mutati-ones sanguini, partibusve ab eo separatis, majo-res etiamnum inferrent.

Hanc partem dissertationulae nostrae partes in plures rite discerpere, et glandulas, ut appendices,
non

non tantum systematis arteriosi, sed etiam venosi, perpendere, fortasse possemus; sed generalibus infistere, quam periculum errandi, nimis minuta persequendo, adire maluimus. Hanc tamen opinionem aliquatenus sustentari posse, nobis persuasum habemus; nam hepar pro viscere venoso haud dubie habendum. Nonnulli quidem, ut sanguis, qui huic organo inserviat, actionem lienis prius subeat, opus esse putarunt; nec revera splenica venam, partem venae portarum aliquam conflantem, lympha sua coagulabili magna ex parte orbari negandum. Hallerus, § DCLXXXI. Prim. Lin. modo sequente conscripsit: ‘Is sanguis vix unquam coagulatus est.’ Lienem vero munere summi momenti sibi proprio defungi, nuper monstravit anatomicus ille peritissimus Heufonius. Nulla alia forsitan ratio est, cur vena splenica hepar ingrediatur, praeterquam quod sanguis ad cor hac facillime et citissime possit redire. Licet etenim hepar sanguinem venosum sibi depositat, organum tamen alterum ad sanguinem ei praeparandum necessarium fore, haudquaquam probabile; cum semen masculinum, quod secretio per quam elaborata, saltem pernecessaria est, in glandula a nulla alia pendente formari videamus. Quatenus quidem partes diversae aliis inserviunt, et ad

unum systema integrum efficiendum conferunt; omnis pars ab alia, at non ulterius, pendeat necesse est. Hoc modo renes sanguinem, in quem omnes corporis humani glandulae rite agant, eundem aqua superflua liberando, praeparare non male affirmaveris. Cum ad systema lymphaticum fuerit per ventum, de usu lienis dicemus.

Cum opusculum nostrum hoc modo divisorimus, analogia remota, ut ulterius etiamnum progrediamur, suadere videtur; hoc vero facere audebimus, non parum dubitantes, et mentionem conjecturae merae tantum injiciemus, viz. glandulas nonnullas, quae anatomici physiologique opprobria hucusque fuerint, pro appendicibus forsitan systematis nervosi, quarum usus cum eodem quam arctissime confocietur, posse haberi. Quas glandulas significo, eae sunt pinealis, pituitaria, ganglia nervorum, et capsula renalis. Cur glandulas pinealem, pituitariam, et ganglia ad nervos pertinere existimemus, in causa sunt earum situs nexusque cum systemate nervoso conjunctior. Capsulam renalem appendicibus systematis nervosi ut annumerari posse putemus, faudet dissertatio breviuscula Actis in Petropolitanis a Du Verneio conscripta. Similitudinem quandam hanc partem inter et nervorum ganglia demonstrare conatur; quae, me judice,

dice, non adeo clara esse videtur. Hanc sententiam melius sustentant anatomici recentioris accuratissimi incisiones; qui in hisce monstris, quae, cerebro imminuto vel ex toto deficiente, nata sint, inspiciendis, capsulam renalem, pro rata ratione, deficere vel ex toto deesse compertus est.

Pro modo, quo hoc argumentum perpendemus, glandulae corporis humani diversae ordine sequente disponi et enumerari possunt.

Appendices Systematis Sanguiferi.

1^{um}, Arteriarum,

Omnes glandulae mucosae, quae cava diversa humida efficiunt aut lubricant, glandulae salivariae, pancreas, renes, mammae muliebres, testiculi, et glandulae forsitan thyroideae, et omnis quidem glandula, si illas ad capita alia relegatas excipias.

2^{dum}, Systematis venosi, Hepar.

Appendices Systematis Lymphatici.

Glandulae lymphaticae, thymus, et lien.

Quinetiam sequentes forsitan sunt

Appen-

Appendices Systematis Nervosi :

Cerebrum, glandulae pinealis et pituitaria,
ganglia nervorum, et capsula renalis.

C A P. III.

*De Structura Glandularum, earum vero potissimum,
quae ad Vasa sanguifera pertineant.*

Has autem glandulas, quae tantum aliquid separant, vel minimum mutationis edant, structura simplicissimas esse probabile. Hinc ren tamen est excipiendus; nam aequa ac glandula quaelibet alia complexus esse videtur. Num mera separatio necne fuerit facta, optima dijudicandi ratio est, humorem secretum cum sanguine diligenter conferre, et utrum ulla partium, quae in vasis sanguineis prius existiterint, dotibus referat curiose notare. Si proprietates sanguineas revera reddiderit, nihil obstat, quo minus separationem meram fuisse factam concludere liceat. Lachrymæ, humor qui in ventriculis cerebri offenditur, materia perspirabilis, et urina, sunt fluida salina, quae in systemate sanguifero prius existisse credamus. Quae materia diversis in corporis cavis reperiri

reperiri solet, ea a numero humorum separatorum distinguatur oportet. Synovia, quae articulos lubricat, specie quam prae sepe plerumque ferat, ab ulla sanguinis parte plane differt; ad materiam indolis oleosae, quae vasis in sanguineis non existat, nisi eò fuerit devecta, secreta, et a membrana adiposa rufus absorpta, proprius accedit. Hoc saltem a capite tertio libri Heusonianii, qui *Experimental Inquiry* inscribitur, admodum probabile efficitur. Humores intersticiorum communes non meras esse separationes, observationes sequentes testari videntur. Licet cogantur aëri objecti; magnopere tamen, quantum spatium ad hocce coagulum absolvendum necessarium spectet, variare confuerunt. Lympha sanguinis coagulabilis, aëri exposita, in materiam gelatinosam, septem octave minutis, prorsusabit; illi vero, nisi triginta minutis expletis, non coguntur. Aliud insuper discrimen est; nam, licet potentia aëria ad sanguinem cogendum plurimum conferre comperta sit, longa tamen quies idem praestabit. Humores quidem intersticiorum proprios ex toto requiescere, minime contendam; haud dubie tamen non aequa, ac intercircumeundum, violenter exagitantur. Hinc sequeretur remoram in cavis in causa fore, cur

citius, ad aërem objecti, quam lympha vasis sanguiferis motu solito praeditis detracta, in coagulum abirent. At hoc minime evenit. Humor intersticiorum communis a lympha coagulabili, nec hac nec illo aëri exposito, sed quiescente, tempore ad coeundum neceffario, quod experimenta Heufonii evincunt, magis insigniter discrepat. Hoc autem apud librum Heufonii, qui *Systema Lymphaticum* inscribatur, videre est. Nam lympha coagulabilis in vasis sanguiferis, sex horis praeteritis, coacta reperta est; contra, lympha coagulabilis in vasis lymphaticis, quae indolis ejusdem est ac humor intersticiorum proprius, cum vingtia horas requievisset, ex toto fluebat, et deinde emissâ in materiam gelatinosam abiit, aliquamdiu ad aërem objecta. Haec autem discrimina hunc humorem, me judice, ut secretis immutatis annumeremus plane suadent.

Structura hujusc organi, quod fluidum intersticiorum commune fecernat, pro exemplo simplissimi glandularum generis erit. De structura vero hujus organi tres opiniones in medium fuere prolatae; nempe porum inorganicum esse, per quem aliquid possit transudare; porum organicum esse; et denique arteriam esse exhalantem. Prima harum opinionum ab Hunterio profecta est;

caeterum

caeterum ab Heusonio in *Investigatione sua Experimentalis*, toto convulsa est. Solummodo igitur restat statuendum, porus organicus an arteria exhalans humorem intersticiorum communem profundat. Arteriam autem exhalantem hoc praeferare nobis persuasum habemus. Nam orificium mere organicum ad hasce mutationes, quae in conditione systematis sana fuerint animadversae, efficiendas non accommodatum esse videtur. Idem quoque admodum probabile efficiunt mutationes morbosae rite perpensae, effectusque potissimum vasorum in pure formando; de quo postea dicturi sumus. Qui porum organicum esse contendunt, humorem intersticiorum ex aqua mera conflatum esse opinantur; et porum hujuscemodi tali functioni prorsus accommodatum esse, et vas consilio nulli melius respondere posse, affirmant. Cum vero humores quodammodo immutari compertum sit, hoc ratiocinium relinquatur oportet. Hanc autem arteriam exhalantem vasculorum, quae ab arteriolis rubris, quae substantiam in junc- turis ossium pinguedinosam circumdent, oriuntur, quaeque synoviam secernunt, aliquantulum similem esse putamus. In hanc opinionem eo facilius concedimus, propterea quod Hallerianae convenientat, qui inter agendum de terminacione arteriarum,

§ 43. hoc modo loquitur. “Alius finis arteriae est, quo in canalem exhalantem terminatur. Iste finis ubique in corpore frequens est.”

Compluria structurae glandularum magis complexae vel absolutae exempla proferre possemus; sed ad consilium nostrum sufficiet, hepar, renes, testiculos, &c. commemorare. Structuram horum explicatam dare haudquaquam necessarium ducimus, quoniam notitiam ejus quam plenissimam ab aliis fontibus facile hauries. Cryptas, quae in renibus sese ostendere videantur, doctrinae Malpighiana plurimum favisse fatendum; Ruyfchius vero modo mirabili, quo vascula sint divisa, eas deberi affirmat. Quinetiam Heusonius vasa subtiliter replendo, rem ita sese habere probavit, et, insuper vas serpentinum corpora globosa inter et ductum excretorium, intercedere demonstravit. Harderius, Malpighii aequalis, corporum renum globosorum compositionem penitus intellexisse videtur. “Existimo tamen, inquit, glandulas illas, e quibus exterior renum substantia conflata est, aliud nihil prae se ferre quam vasa varie gyrata et intorta, quae post varios flexus et ambages tandem in papillas coeunt.” Nullam quidem glandulam novimus cui non sit vasculosa struⁿctura. Quantum ad ductum excret-

nentium terminationem spectat, aliquid differentiae est, quod silentio non praetereundum videtur. In alicujus cavi superficiem, vel in vesiculam receptaculumve, vel modo utroque, definunt. Terminationis prioris multa exempla, velut in glandulis salivariis, pancreate, caeterisque; posterioris nonnulla in renibus et lacunis forsitan glandularum mucosarum habemus. Terminationem utramque in hepate invenias. Haec meminisse necessarium duximus; quoniam aliqui secretiones, nonnullis in exemplis, in hisce receptaculis pergere, vesicamque felleam bilem formare, sunt arbitrati. Sin vero hae vesiculae secretionibus omnino necessariae forent, nullae glandulae illis destituerentur; caeterum glandulas in cava aperiri, hancque partem illis deesse, notavimus. Haud dubie non ratio gravior est, cur vesicam felleam bilem potius procreare, quam vesicam urinariam urinam, vesiculasve seminales semen, secernere ponamus; quae quidem a vero evidenter abhorrent. Nam, si res ita sese haberet, mares, quibus testiculi sint excisi, nihilo tamen fecius foecundi manerent; quod ponere nemini quidem in mentem venerit. Opus igitur est, ut opinionem hujusmodi deseras, et Hallero assentiaris, has glandularum quarundam partes nihil aliud quam receptacula

cula esse, quae humores secretos in usum oeconomiae et commodum reservent, mutationemque, quam subeant, principem esse partes tenuissimas aquamve superfluam, quae secretioni suae necessaria esset, per absorptionem amittere.

C A P. IV.

De Glandulis cum Systemate Lymphatico conjunctis.

Quod has glandulas, de quibus verba sumus facturi, appendices systematis lymphatici denominare conveniat, nobis firme persuasum est; et, licet documenta, quae hujus sententiae sufficiendae causa possent proferri, fusius exequi nequeamus; namque hoc facere limites dissertationculae hujuscemodi longe excederet, et multo plus temporis et operae, quam quae in eo facile collari queant, depositularet; experimenta singularia tamen et argumenta ingeniosa, quae hoc inventum illustrent, in lucem in operibus auctoris sui posthumis editum iri speramus. Sufficiet in praesentia paucas res veras, easque principes, et conclusiones generales exinde deductas, meminisse. Hoc systema a cavis diversis originem sibi ducere, et haudquam arteriarum continuationem esse,
ingeniosissime

ingeniosissime ab anatomicis celeberrimis Monroio, Hunterio, Heusonioque evincitur. Verum tamen est, particulas sanguinis rubras in hoc vasorum systemate nonnunquam esse reperiendas. Hoc animadverterunt complures, nec de eo cuilibet injicitur dubitatio. Hic loci quaeri potest, quomodo hae particulae huc venerint, nisi hoc in systemate fuerint progeneratae? Forsitan respondebit aliquis, huc per absorptionem accessisse. Caeterum haud dubie rem aliter sese habere credes, si hasce particulas rite perpenderis, easdemque cum orificiis lymphaticorum aegre videndis, quae in villis intestinalibus, ubi aequa ac in qualibet alia corporis parte ampla esse, confitearis necesse est, apparent, comparaveris. Nulla causa est, cur orificia lymphaticorum patula particulias se magnitudine saitem adaequantes absorbere posse existimus. Praeterea, necessarium est, ut in cava corporis prius effundantur, quam absorberi queant. Caeterum res non ita sese habet; nam humoribus intersticiorum, quatenus fuerint examinati, admistae non reperiuntur, licet eas in vascula lymphatica inter nifus animalis, operationi ad hocce experimentum necessariae subjecti, absorptum iri expectares; nec eas particulas in ductu thoracico, proxime ligaturam, quae subito illi fuerat injecta,

se ostendisse celandum; quod non evenisset, si particulae absorptae forent.

Nonne igitur responsum summa cum probabilitate huic quaestiunculae referre et dicere possumus, hasce particulas in hoc systemate, et in iis partibus, quas ejus appendices appellemus, viz. in glandulis lymphaticis, thymo, et liene, formari; propterea quod systemati lymphatico in officio suo fungendo auxiliari, idemque absolutum reddere compriuntur?

Proximum est, ut structuram glandularum lymphaticarum explicemus. 1. Glandulae lymphaticae in partibus corporis humani certis fere constanter reperiuntur. Cum arteriae venaeque liquoribus coloratis replentur, haec vascula adeo minute plane divisa sunt, ut glandulae ex nihilo praeterea conflari videantur. Idem se in conspectum, vasis lymphaticis mercurio repletis, dare confuevit. Hinc haec duo systemata partem harum glandularum principem, nervis tamen portiunculam suam sufficientibus, componere concludimus. Multi anatomicorum textura cellulosa repletas, et tunica membranosa investitas, notarunt Vasa lymphatica, quae has glandulas ingrediuntur, saepius, quod Nuckius aliquique animadverterunt, dividuntur, rursusque sub partem, qua
exeant,

exeant, in vas unum plurave coeunt. Quibus-dam in exemplis tamen glandula e vase lymphatico simplice convoluto conflatur, quod ad ductum thoracicum, post hanc convolutionem, recta pergit, ut a glandula cautissime incidenda patefcit: Hae glandulae in animalibus junioribus ampliores, in aetate proiectioribus minores.

2. Thymus glandulas lymphaticas structura refert, si hoc solum excipias, quod vasa lymphatica eundem non ingrediuntur et per transfeunt, sed a glandula ipsa proficiscuntur. Quinetiam animalibus in junioribus amplior est, et gradatim, prout animal aetate procedit, imminuit, et tandem ex toto in adulto saepius evanescit. Insuper adjiciendum est, amplitudinem ejus, nonnullis in animalibus, non tantum magnitudini eorum praesenti, quantum celeritati qua crescant, respondere. Ita in vitulo quam in foetu humano pro rata portione major. Situm hujus aliarumque glandularum silentio praetermittere nobiscum decrevimus, cum, utrum hoc ratiocinio nostro auxilium necne suppeditaret, nesciamus.

3. Plerique scriptorum magnam vasorum sanguiferorum lienem, pro mole sua, copiam ingredi notarunt. Glandulam proxime positam eo reddit, quod plurima vasorum lymphaticorum exinde oriantur,

orientur. Textura ejus cellulosa esse animadver-
titur. Antequam de usu harum partium dica-
mus, lectorem ad Transactiones Philosophicas re-
legemus oportet, ubi argumenta, quae opinio-
nem subsequentem suffulciunt, offendentur, quam
Heufonius in medium primus protulit, viz. parti-
culas sanguineas ex partibus duabus, centrali me-
diave solida, et vesicula circumcingente vel inte-
gumento externo conflari. Idem, in praelectione
sua anatomica centesima tertia vascula lymphati-
ca ipsa has partes utrasque formare posse, admo-
dum probabile reddidit; caeterum animalia ma-
gis absoluta glandulis lymphaticis, quae hoc mu-
nere accuratius fungerentur, praedita esse affir-
mavit. Vascula vero ipsa lymphatica hanc po-
testatem habere hinc plane patefecit, quod quibus-
dam animalibus, quae glandulis lymphaticis de-
stituantur, haecce particula absoluta sit. In statu
infantili major harum particularum in oeconomia
animali necessitas esse videtur; et hanc ob causam
forsitan animalia juniora organum, thymum sig-
nifico, habent, quod, prout aetate procedunt, e-
vanescit. Haec glandula partem particularum
rubrarum centralem suppeditat; quod ex obser-
vando complures illarum ab hoc organo ad vasa

lymphatic-

lymphatica adferri, quae hinc originem suam deducere supra posuerimus, evincitur.

Licet experimenta lienem organum in sanguine parando summi momenti esse testentur; complures tamen anatomici, et in his Heusonius, hoc viscus exciderunt, et animal tamen vivere perseveravit; utrum vero pars sanguinis rubra necne fuerit imminuta nulla statuendi occasio illi subministra ta est. Hoc experimenta futura monstrabunt. Cum vero alia organa eidem consilio respondeant, ea jacturam ejus aliquantulum compensatura esse probabile; namque non tantum in hac, sed in aliis oeconomiae partibus, naturam plures eundem effectum edendi rationes habere plane videmus. Quo munere hoc viscus fungitur, est vesiculam globulo centrali depresso adjicere; Heusonius enim vasa lymphatica liene egredientia hisce particulis prorsus absolutis repleta esse observavit. Quidnam autem documentum functionis cuiuslibet visceris magis perspicuum evidensque haberi potest? Nonne hepar bilem formare ex bile exinde profluente compertum est? Praeterea, hanc vaginam vesicularem e lympha coagulabili constitutam esse verissimum est; etenim sanguinem venae splenicae aegrius cogi supra comprehendimus; et coagulum sanguinis a praefentia absentiave hujuscce partis pendere, adeo manifestum est, ut de eo vix ambigi queat.

S E C T. II.

DE GLANDULARUM PHYSIOLOGIA.

C A P. I.

*De Theoriis, quae de Modo, quo Glandulae suos
in Massam Humorum generalem Effectus edant,
hucusque invaluerint, insignioribus; et de iis
quae iisdem objici queant, &c.*

In theoriis diversissimis confiderandis, quae confilio secretionis phaenomena explicandi fuerint excogitatae, verisimillimas feligere sufficiet. Primum autem de opinione Des Cartesii differemus, quae dignissima est, cum et simplex et ingeniosa sit, quae commmoretur. Hic philosophus jure celeberrimus organa secernentia cribrorum similia, porosque glandularum diversarum diversos esse, et magnitudini figuraeque particularum, quibus a sanguine segregandis destinarentur, respondere putavit. Quanquam haec theoria eandem leviter intuenti probabilis esse videatur, facillime tamen convelli potest. Namque particulas magnitudinis formaeque diverse vas in sanguineis existere ponit; quod, uti

uti videtur, a vero longe abhorret. Si etenim in sanguinem oculis microscopio armatis intueberis, nihil aliud quam particulas rubras nonnullasque partium centralium, tunica sua vesiculari destitutas, videbis. Hae omnes particulae rubrae forma et magnitudine eodem in animali, eodemque vitae tempore, aequales sunt; caeterum in eodem animali temporibus vitae diversis cum figura tum magnitudine variant; quod in Transactiōnibus Philosophicis, quarum prius meminerimus, videre est. Igitur, si hae particulae a sanguine separarentur, necesse esset ut vasa secernentia temporibus diversis ampliora forent, formasque diversas haberent, quod a probabilitate longe absurdum. Revera quidem, nullas ex hisce particulis in ulla ex humoribus secretis videmus. Quintam omnes humores a glandulis secretos vasis in sanguiferis prius existere ponit. Si profecto res ita fese haberet, quidnam, quaesumus, obstaret, quo minus bilem, semen, &c. una cum sanguine circumire videremus; quod se animadvertisse nemo affirmare est ausus? Praeterea, si humores secreti per glandulas tantum percolarentur, unaquaque particula minor omnisque humor tenuior particulas ampliores vel humores magis viscidos concomitarentur immutata. At hoc non evenire

com-

compertum est; lac enim e globulis quibusdam solidis constat, nulli tamen humorum, saltem immutati, cum eo consociantur. Quinetiam materia lactis casearia, quae ad naturam lymphae coagulabilis quam proxime accedere putetur, ab ea quibusdam dotibus magnopere differt. Denique, si haec theoria vera foret, vascula glandularum secerentia formas diversas haberent; sed rem longe aliter sese habere omnia testantur; vasa etenim corporis humani transverse incisa ubique, si sinus cerebri tantum excipias, circularia esse reperiuntur.

Alia theoria aequi simplex ac prior tales humores, quales in glandulis diversis reperiantur, ibi ab origine extitisse, et, dum sanguis per vasa glandularum sanguifera transeat, humores singulas partes sibi similes attrahere, reliquasque repellere ponit. Haec autem hypothesis itidem fluida secreta in systemate sanguifero subesse fingit; quod omnino negamus, licet Hallerus in sententiam contrariam concessisse videatur. Haec ejus sunt verba: “Diximus in sanguine omnes humorum classes reperiri, quas diversa per colla de sanguine oportet separari.” Sanguinem quidem partes humorum elementares continere perspicuum est; caeterum, quae dissimilitudo humores secre-

tos inter et ullam sanguinis partem intercedat, eas plurimum immutatas esse testatur. Praeterea, conjecturae huic multa repugnant; namque in embrione, quod Hallerus lib. VII. sect. III. § xxx. notavit, bilis ab ea, quae postea fecernitur, cum colore tum sapore differt.

Tertia et postrema opinio, quam meminerimus, secretiones humanas per fermentationem peragi ponit. Primum autem, quidnam per fermentationem, secundum optimas hujusc proceffus definitiones, significetur, explorare aggrediendum.

Chemici, quantum ad opiniones suas fermentationem spectantes attineat, inter se non convenire videntur: In hoc autem argumento exequendo omnino necessarium est, ut quidnam hicce proceffus sibi velit penitus intelligamus; et optima, nostro judicio, hanc scientiam adpiscendi ratio est definitiones optimorum chemicorum accurate perpendere. Quam primum commemorabimus, ea est, quae a chemico excellentissimo fuerit tradita, quamque Dr Pearson, in dissertatione sua inaugurali, adhibuerit. “ Si qua in materie motus intestinus suboriatur, et per totam massam serpat, donec tota homogenea fiat, et ita mutetur, ut quaelibet pars ejus recenti materiei, ejusdem generis ac illa ab initio fuerat, addita, motum

tum intestinum in hac concitet, et universam sibi omni ex parte similem reddat; hi motus, et haec sub iis facta mutatio, Fermentatio, et materia addita fermentationem ciens, Fermentum, dicuntur.”

In primis est inquirendum, utrum aliquid motus intestini sit; et quo hoc manifestius apertiusque fiat, unde hocce in fermentatione phaenomenon pendeat diligentius explorandum. Ab extricatione vero aëris fixi oriri, Dr Black, praelectionibus in suis chemicis, clare demonstravit. Num aliquid hujuscemodi in organis secernentibus accidere probabile est? Rem aliter sese habere opinor. Secundum hanc definitionem, necessarium est, uti materia per vim fermentationis immutata, materiae recenti admota, eandem suam in similitudinem convertat, i.e. ut in modum fermenti agat. Humores vero nostros secretos nulla hujusmodi potestate esse praeditos demonstratu facillimum. Namque, in exemplis icteri, bilis in vasa sanguinea, per absorptionem forsitan, evidenter invehitur, et omnia fermentationi, velut calor, &c. quam maxime favent; humores tamen nostri in bilem non convertuntur. Quinetiam in variolis pus saepius a pustulis absorbetur, et per tumum intestinali foras eliminatur, et, hoc in exemplo,

emplo, in vasa sanguifera quamvis receptum, fermentationem sibi propriam subire existimatur; non ita tamen agit, ut humores in materiam sibi similem immutet. Actio ejus ultra vascula in superficie non sese diffundere videtur; nam si potestas, ad instar fermenti, in humores nostros a-gendi huic materiae singulari foret, intelligere non possumus, cur morbus unquam decederet, cum fluida recentia, in quae agat, assidue procreantur, et materia variolosa in pustulis superficie sub finem morbi, quam cum ejusdem excitandi causa primum admoveretur, copiosior sit. His rebus adductus in sententiam eorum, qui fermentationem propugnant, concedere nequeo. Pus in nullos humorum nostrorum in modum fermenti agere, et eos sibi assimilare non posse, loco suo monstrabimus.

Alius chemicus ingeniosus fermentationem, "qua compositum unum in alterum diversum, per novum iisdem in elementis conjunctionis modum, immutetur, operationem esse" contendit. Non nihil hujuscemodi nostris in humoribus non accidere aegerrime demonstrares; licet tamen nulla omnino argumenta, quae idem evenire ostendant, in medium proferri possint. Caeterum haec definitio adeo vaga et incerta est, ut recipi nequeat; ad speciem

ciem etenim fermentationis principem et notissi-
mam, nempe vinosam, parum accommodatur ; in
qua eadem elementa compositum, quae id prius
conflarint, ^{non} componere exploratum habetur ; quod
a separatione aëris fixi copiosa, et sedimentis ali-
aque materia praecipitatis, quae inter fermentan-
dum eveniunt, probe innotescit. Insuper, si de-
finitio prior justa, vel, ut alia verba adhibeam,
phaenomenis fermentationis consentanea foret,
haec, quod ab utrisque collatis patescit, longe di-
versa sit oportet. Quanquam enim, secundum
priorem, partes quodlibet corpus constituentes a-
fese invicem separari, et diversum in ordinem re-
digi, queant ; a materiis tamen quibusdam idem
semper deducitur. Ita materia vegetabilium fa-
rinacea in faccharum, faccharum in vinum, &c.
convertitur, donec tandem putrefascat ; et haec sta-
dia ejusdem processus diversa, quae constanter
accedunt, esse videntur. Contrarium vero in se-
cretionibus, in quibus eadem aequalitas et con-
stantia minime reperiundae, evenit ; quamvis e-
nim omnes a sanguine promanent, dotibus tamen
suis modum in mirum variantur. Animalibus
forsitan materiem vegetabilem per concoctionem
aliosque processus animales in naturam animalem
potestatem convertendi esse dici potest ; quod
quidem

quidem accidere videtur. Notandum vero, matерias animales fermentationem, dum ad corruptionem progrediuntur, putridam subire. Principium tamen animalium vivum huic ad corruptionem proclivitati non parum resistere potest; licet multa, quibus vita subjiciatur, velut gradus caloris, &c. huic processui magnopere faveant. Cum putredo sit stadium proximum, quod materia animalis attingere contendat, haud dubie expectares omnem mutationem, per quemlibet processum minima ex parte fermentationis aemulum, putredinem versus inclinaturam, gradumque putredinis mutationi pro rata ratione esse responsum. Humores igitur nostri, qui plurimum mutationis subierint, ad putredinem, iisdem rebus circumstantibus, celerius tendere, citiusque, quam minus immutati, putrescere debent. Rem autem aliter sese habere, experimenta sequentia testantur.

C A P. II.

De quibusdam Experimentis Consilio Indolis Puris explorandae cognoscendaeque institutis.

Plerique medicorum pus potissimum per fermentationem procreatū esse crediderunt; donec

E

nonnulli

nonnulli auctores, quorum postea meminerimus, huic opinioni adversati sint: Utcunque vero progenitum, haud dubie est mutatio in humores corporis humani per inflammationem, suppurationis comitem, edita; et igitur ad experimenta instituenda quam maxime accommodatum.

EXPERIMENTUM I.

Tres phialas, magnitudinis aequalis; primam aliquantulum supra dimidiam altitudinem fero recenti; alteram eandem ad altitudinem fero particulis rubris admisto; tertiam eodem modo pure blando, quod mihi Heusonius dederat, quodque eodem die e cavo pleurae fuerat eductum, repletas adhibui. Has absque operculo, rebus sub iisdem circumstantibus, in fenestra collocavi, subinde examinavi, et ordine sequenti putrefescere compéri. Altera primum foetebat, et deinde prima odorem foetidum emittebat, dum tertia omnis foetoris expers et incorrupta, in aliquantum temporis maneret. Quod non evenisset, si pus per processum fermentationis putridae similem formatum fuisset.

Cum hoc et reliqua quidem experimenta, consilio tantum memetipsum scrupulis dubitationibusque liberandi fuerint instituta, omnia forsitan

ad

ad processus spectantia non satis accurate literis mandavi; sed animum ad conclusiones generales, quae exinde possent deduci, diligenter adjeci.

Occasio tamen hoc experimentum reiterandi, et tempus, quo singulae ex phialis putrefescere coeperint, curiosius observandi cum fuerit oblata, eandem non praetermittere mecum decrevi.

E X P E R. II.

Die Junii vicesimo primo 1774, duas aut circiter puris boni, ex abscessu emissi, quod tamen cum nonnullis particulis rubris commixtum fuerat, uncias mihi comparavi. Quinetiam eandem seri recentis a particulis rubris separati quantitatem, copiamque seri particulis rubris onusti aequalem, adhibui. Sanguis, unde hae partes sunt sumptae, aegroto morbo inflammatorio laboranti, duas tresve horas post abscessum apertum pusque educatum, emissus est. Tribus phialis has partes continentibus signa A. pus, B. serum, C. serum cum particulis rubris, inscripsi. Eadem in vase una cum thermometro Farenheiteano collocavi, et Soli objeci. Calor plerumque mane gradum 58um, meridiem inter et primam horam pomeridianam 66um, caeterosque ad 70um usque, et vespere 58um

58um attigit. Interdum quoque, Sole non lucente, putredinem, vase in balneo aquae ad gradum caloris 98um quam proxime accedente, eundem vero rarius attingente, posito, promovere conatus sum. 26to Junii, C. vespere foetorem leviculum ostendit, qui per noctem adeo intendebatur, ut in proximum mane evidentissime persentiri posset. A. et B. omnino dulcia fuerunt. 27mo omnia sese, ut die priore, habebant. 28vo, C. foetebat, A. et B. dulcia fuerunt. 29no, C. foetebat, A. et B. non aliter, quam die hesterno, se habuerunt. 30mo, nihil ulterius fuit immutatum. Die Julii primo, mane A. odorem ingratum emisit; B. adhuc dulce; C. magis foetidum erat. 2do, A. evidenter, C. magis foetebat; B. odorem ingratum emisit. 3tio, A. magis, C. admodum foetebat; B. evidenter putebat.

Licet exitus hujuscce experimenti diversus fit, cum causa tamen hujus differentiae fuerit explica-
ta, eum conclusioni ab experimento priore deduc-
tae haudquaquam contradicere exploratum ha-
bebimus. Namque ut particulae rubrae C. adjec-
tae in causa fuerunt cur multo citius quam purum
serum B. putreficeret; ita particulae rubrae cum pure,
inter abscessum aperiendum, necessario commistae,
putredinem A. haud dubie promoverunt. Nec

ulla ratio est cur dubitemus, pus multo diutius dulce quam serum, nisi particulae rubrae illi admistae putredinem ejus accelerassent, remansurum fuisse. Hoc experimentum saltem ostendit, pus, etiam si particulas rubras contineat, non aequa facile, ac serum cum particulis rubris coniunctum, putrefascere. Igitur hoc experimentum quoque consilio nostro plane respondet.

Pus autem a fermentatione haudquaquam pendere, et quoque in humores effusos, ad instar fermenti, agere non posse, haec experimenta, quae relaturus sum, quaeque, dum apud Nosocomium Middlesexiae Londini studerem, instituta fuerunt, manifeste testantur.

E X P E R. III.

Tenue carnis agninae segmentum ulceri cruris alto, quod granosum esset, pusque laudabile ederet, superimposui, aliquantulum puris, quod in modum fermenti ageret, relinquens. Ulcus frustulo plumbi laevis operui, fasciasque illi rursus admovi. Id post aliquod tempus inspexi, et compertus sum segmentum carnis agninae omnimodo imminutum, sed non in pus conversum; contra vero, admodum foetere, a pure, quod ulcus tunc temporis ederet, omnino diversum. Igitur ab hoc experimento pus a fermentatione solidorum

non

non procreari, et causam quoque substantiae in exemplis abscessuum amissae non ei quod substantia in pus convertatur, deberi; et igitur ab aliqua alia causa necessario pendere, patescit. Licet enim segmentum carnis in hoc experimento per pus, vel, quod magis probabile, per putredinem, ita immutatum fuerit, hunc effectum in parte vivâ, ad eundem gradum usque, editum iri, non concludendum est. Contra etenim potestatem vitae actioni cujuslibet causae, quae ad exitium ejus faciat, resistendi inesse novimus; quod hinc plane probatur, quod caustica duo, magnitudinis viriumque earundem, unum corpori vivo, alterum mortuo, admota, effectum in mortuum multo majorem, quam in vivum, edunt.

Heusonius, in capite Systematis sui Lymphatici septimo, dispendium partium solidarum in abscessibus a pressura humoris in cystide contenti pendere, quae pro rata materiae intus accumulatae ratione augescit, donec ad extremum, ubi minime illi resistitur, rumpitur, proposuit. Quod hoc ulterius confirmat, est effectus insignis, quem pressura in aneurismis plane edit, ubi offa ipsa consumit, quod potissimum in aneurismo curvaturae aortae, qui magnam sterni partem absumpsit, non raro vidi.

Hoc

Hoc nulla fermentatio explicare potest; sed pressura, utrisque in exemplis, causa esse videtur, quomodocunque effectum suum edat.

Consilio comperiundi, utrum humores effusi per fermentationem in pus necne converterentur, experimentum sequens institui.

E X P E R. IV.

In idem ulcus, quod adhuc pus bonum formare perseveraret, copiam feri recentis, quod a sanguine aegroti rheumatismo acuto laborantis separatum, crustam coriaceam ostendit, infundendam curavi. Quantitatem puris parvulam, quae in modum fermenti ageret, ut in proximo experimento, reliqui, et ulcus plumbo operui. Cum ulcus postea examinarem, serum admodum foetere compertus sum. Hoc experimentum ex fero sanguinis, qui non inflammatorius fuit, primum institui; at Heufonio hoc me monere visum est, quod forsitan necessarium esset, quo pus per fermentationem ederetur, uti serum vasorum inflammatorum actioni subjiceretur; et ut experimentum ex sanguine, qui crustam coriaceam ostenderet, repeterem hortatus est. Exitus utriusque experimenti, prout expectaverat, idem erat.

Quo

Quo tandem cognoscerem, utrum lympha coagulabilis in pus necne converteretur, experimentum sequens instituendum putavi.

E X P E R . V.

In idem ulcus, rebus omnibus circumstantibus quas supra comprehendimus iisdem, segmentum crustae sanguinis inflammati, i. e. lymphae coagulabilis coactae, insinuavi. Sicut in aliis exemplis, ita in hoc, foetidum evafit. Nihil autem ab hoc experimento deducendum est; quoniam lympham effundi fluidam, et prius fermentationis actioni, quam coeat, subjici, dici potest. Sequens igitur institutum est, unde aliquid certius cogi et effici potest.

E X P E R . VI.

Ex sanguine aegroti rheumatismo acuto affecti lympham paulatim collegi, tarditate qua sanguis coeat adjutus; et eam ulceri, aëre externo ad illud adspirare prohibito, admovi. Copia lymphae parvula fuit; caeterum, ut in reliquis experimentis, aliquantulum foetoris emisit.

Ex hisce experimentis pus a fermentatione non oriri concludere licet; et si morbida mutatio a pro-

processu chemico non pendeat, minus causae esse existimo, cur humores sponte naturae secretos hoc modo progenitos esse ponamus. Pus forsitan ab arteriis exhalantibus formari, saltem non nullis in exemplis, postea dicemus. Fermentatio unica, quae haud dubie in systemate animato oriatur, est processus putridus, qui tantum, ubi vis vitae languescit, corpus humanum gravius afficere potest, et longe, vita salva, progredi nequit. Hi morbi forsitan, quos fermentum contagiosum movere dicatur, a stimulo materiae sibi propriae specifico pendent, utpote quae mutationes actioni fibrae motricis systematisve nervosi morbidas inferat, et hoc modo solo humores nostros afficiat, et ortum a fermentatione haudquaquam deducunt. Utraque opinio difficultates sibi proprias habet; at ego multo facilius concipere possum, multoque minus a vita animali alienum esse videtur, mutationes aberrationesve ab actione vasorum usitata diversas accidere, quam tot fermentationes varias existere ponere. In hanc opinionem facilius concedemus, si succum vegetabilium proprium quam diversissimum esse, et nutrimentum mitissimis et acerrimis ab eadem aqua suppeditari, quod per experimenta Du Hamelius evidenter ostendit, nobiscum reputabimus. Insuper, celeberrimus

Boyle, in parte secunda, et dissertatiuncula secunda operis sui de Philosophiae Naturalis experimentalis utilitate, quod sequitur, pro certo affirmat, “ That rain water, which, in its passage through a vine, or apricoke-tree, or the like plants, is turned into a sweet liquor ; in its passage through those plants that bear lemons and barberries, is transmuted into a liquor sharp enough to corrode not only pearls, but coral, *lapides cancriorum*, and other hard concretes, as *spirit. vitrioli* would do.” Quinetiam Hopaeus observat, malvam arumque in eadem urna hortensi crescentia, eademque aqua humectata, &c. naturas sibi proprias retinere ; namque, dum illa mucilaginosa, hoc acre est. An verisimile, vel etiam fieri potest, hanc mutationum aquae varietatem per fermentationem effici posse ? Rem aliter sese habere contendo. Cum enim omnes res circumstantes eaedem sint, si diversitatem structurae vegetabilis excipias, non mihi in animum inducere possum, mutationes ab ulla alia causa, praeterquam a structura vegetabilium diversorum diversa, pendere ; quae vegetabilia potestatem, qua praedita sint, aquam, quam imbibant, mutandi plane deducunt.

C A P.

C A P. III.

In quo queritur, num Sanguis necne vivat?

Vix fieri potest quin, dum fermentationem in secretiones nostras aliquid posse negamus, nos auxilium a conjectura ingeniosa, quam nuper in Commentariis Medicis offenderimus, petituros esse expectaretur; opinionem Joannis Hunterii, chirurgi Londinenis celeberrimi, viz. "that the blood is really alive," significo. Haud dubie proposito nostro conveniret, si hoc verum esse fateri possemus; at nihil fidei omnino opinioni tam hypotheticae vagaeque habendum ducimus. Ceterum, in sectione nostra proxima generali, cum sanguinem, ut ex toto passivum actionique solidi vivi mere subiectum, considerare nobiscum decreverimus, hanc opinionem refellere conari, uti putamus, nostrum est.

Hoc consilio argumenta, quibus suam Hunterius opinionem sustineat, separatim et ordine examinabimus. "1. It unites living parts in some circumstances, as the yet recent juices of the branch of one tree unite it with that of another."

Si

Si succi vegetabilium vivere demonstrarentur, ratiocinium hujuscemodi analogum admitti posset; sed rem ita sese habere, nemo unquam sibi persuasum habebat. Si animum nostrum ad infisionem considerandam adjiciamus, haudquam Hunterio succos recentes in causa esse, cur arbores inter sese coalescant, assentiemur; hortulanus enim, hoc succo minime fretus, partes furculi certas partibus trunci similibus curiose opponit. Has, incisionibus necessariis factis, inter sese conjungit, non quod succi adhuc recentes ad partes adunandas necessarii sint, sed quod potestates vegetantes hucusque vigeant. Hanc ob causam igitur, tempestas anni certa caeteris anteponi solet.

"2. Were either of these fluids to be considered as extraneous or dead matters, they would act as stimuli, and no union would take place, either in the vegetable or animal kingdom." Hoc argumentum per experimentum, quod sequitur, viz. "The testicle of a living cock being introduced into the belly of a living hen, upon injecting the liver of the hen, was injected along with the liver, as it had come in contact with it, and adhered to it," suffulcire conatur.

Cum

Cum Hunterius humores, si mortui vel extra-nei forent, in modum stimuli acturos esse, i. e. secundum opinionem ejus, proceſſum certum, qui parte mortua vel extranca a partibus vivis sanif-ve separanda necessario finiretur, moturos esse ponat; liceat rogare cur testiculus galli, qui, quan-tum gallinam ſpectabat, admodum extraneus e-rat, hunc proceſſum non excitaverit?

Num pars animalis cuiuslibet a corpore vivo fe-juncta vivere necne dicatur, quarere fugio. Cae-terum extraneam esse nemo inficias ibit.

‘This union,’ ‘inquit Hunterius, of living parts takes place in certain circumstances.’ Hoc au-tem in exemplis inflammationis tantum accidere compertum habetur, et phaenomena inflamma-tionis ad hanc conjunctionem, humoribus non vi-vis, explicandam ſufficiunt. Namque inflamma-tionem vasa inflammata ad ſeſe elonganda pro-clivia efficere, et juncturam partium ab hacce e-longatione pendere, quod adhaefiones pleurae in-flammatae teſtantur, videmus. Du Hamelius, ni fallor, exemplum, ubi calcar galli crista inflam-matae ſuperimpoſitum illi adhaefit, et crefcere per-feveravit, commemorandum curavit. Ex his et omnibus aliis experimentis quae Hunterius at-tulit, multo plus cauſae eſſe opinor, cur conjunc-tionem

tionem partium a vita et elongatione vasorum potius pendere, quam humores, quos haec vasa vehant, vivere existimemus.

‘ 3. The blood becomes vascular, like other living parts, and the coagula,’ ut Hunterius affirmat, ‘ in the extremities of arteries, after amputations, may be injected by injecting these arteries.’ Res ita sese habere potest; humoribus tamen, quos haec vasa vehant, minime vivis. Nam inflammatio, uti supra comprehensum, in causa est, cur vasa elongentur, et membrum mutilatum post amputationem inflammatur; hinc vasa oriri, per coagulum pertransire, et anastomosin inter sese formare possunt; caeterum originem suam a coagulo haudquaquam deducunt. Si hoc etenim fieri posset, haec coagula vasculosa fore, et sanguinem quoque in omnibus aliis exemplis, ubi effunditur, vasculosum evasurum esse expectares.

‘ 4. Blood taken from the arm in the most intense cold which the human body can bear, raises the thermometer to the same height as blood taken in the most sultry heat.’ ‘ This is,’ inquit Hunterius, ‘ a strong proof of the blood’s being alive, as living bodies alone have the power of resisting great degrees both of heat and cold, and of maintaining, almost in every situation, while in

in health, that temperature which we distinguish by the name of animal heat." Hoc quidem vitam actioni caloris externi resistere posse testatur; sed hanc potestatem in sanguine minime extitisse probat. Contra, sanguis, sub conditionibus aëris diversissimis detractus, intra spatiū duarum horarum frigoris atmosphaerae circumdatae gradum adaequabit, ut experimenta saepius reiterata mihi firme persuadent. Igitur affirmarem, sanguinem corpori humano detractum calorem retinere non posse, qui quidem a vita pendere videtur. Idcirco, cum calorem servare nequeat, non vivat necesse est.

" 5. Blood is capable of being acted upon by a stimulus; for it coagulates, on exposure, as certainly as the cavity of the thorax or abdomen inflames from the same cause." Quilibet cachinno exciperetur, si gelatinosam cujuslibet generis materiali vivere affirmaret, propterea quod in certo calore fluida maneret, et, hoc calore imminuto, frigori et aëri objecta, coiret.

" 6. The more it is alive, i. e. the more the animal is in health, it coagulates the sooner on exposure; and the more it has lost of its living principle, as in the case of violent inflammations, the less it is sensible to the stimulus produced from

its

its being exposed, and it coagulates the later."
Hinc facile concludi potest, genus vitae, quo sanguis fruatur, omnino passivum esse; namque a potestatibus animalibus, quae circuitus ejus sint causa, ex toto pendet. Quinetiam notandum est, genus vitae, quo praeditus sit, admodum singulare esse; quo plus etenim vivit, eo facilius stimulis, licet res in omni alio vitae genere se longe aliter habeat, afficitur. Namque quo magis principium vitae languescit, eo violentius plerumque stimuli idem afficere consueverunt. Hunterius vero forsitan sanguinem, qui revera vivit, actioni vasorum inflammatorum subiectum, violenterque hac ratione agitatum, statum in comatosum incidere respondebit, adeo ut non multum per stimulos affici possit. Haud silentio praetereundum videtur, sanguinem, ubi nihil stimuli ab eo quod aëri objectus sit, oriri potuerit, coactum reperiri; quod effusiones in cerebro testantur. Sanguis autem hic loci a quiete coit, quam Hunterius, ut opinor, pro stimulus haudquaquam habebit.

"7. The blood preserves life in different parts of the body. When the nerves going to a part are tied or cut, the part becomes paralytic, and loses all power of motion, but it does not mortify. If the artery be cut, the part dies, and

mor-

mortification ensues." Quid eam vivam priore in exemplo conservat? "It is the living principle," uti credit Hunterius, "alone, which can keep it alive, and he thinks that this phaenomenon is inexplicable on any other supposition, than that it is supported by the blood." Nemo, quantum sciam, sanguinem vitae partis omnino necessarium esse unquam dubitavit. Si hoc experimentum aliquid, nutrimentum potissimum per arterias, et non per nervos, ad partes corporis humani diversas devehit probat; et hoc etiam aegerrime monstrare videtur. Namque, licet rami nervorum ampliores ligati, vel incisi forent, divisio tamen nervorum propemodum infinita complures ex hisce ramulis parvis integros etiamnum relictos esse, tot saltem, quot ad circuitum humorum, qui ab actione solidorum per vim nervosam exitata pendeat, continuandum sufficerent, nobis suaderet. Et, licet gangraena partem sanguine orbatam invadat, humor tamen, qui eam sustentat, non vivus esse potest. Hoc saltem exinde haudquaquam deduci posse videtur; nam totum corpus animale, absque alimentis quibusdam in ventriculum ingestis, diu vita frui nequit. Quanquam vero haec vitae prorsus necessaria sint; inde tamen ingesta vita praedita esse inferre non possumus.

Quo finem huic capiti imponamus, sanguinem ut fluidum consideratum, et pro fluido solo habet Hunterius, vita omnino vacare affirmamus. Etenim vita evidenter in functionibus certis genere suo actuosis peragendis consistit; et ad hanc fundendas structura quaedam organica prorsus necessaria est. Fluida autem hanc structuram organicam non admittunt, et igitur vivere non possunt.

S E C T. III.

C A P. I.

In quo fit Conjectura de Indole Secretionis magis probabilis.

Quanquam opiniones de secrezione glandulari, quas meminerimus, easdem diligenter perpendiculari haudquaquam arrideant; hanc tamen physiologiae partem obscuram non explicari posse non existimo. Igitur proximum est, ut eam explicantam dare aggrediar. Primum autem notandum est, omnes secretiones a vita pendere, et absque ea perdere non posse. Hinc secretiones cum principio vivo vel systemate nervoso quam intime coniungi concludimus. Machina animalis e solidis

et

et humoribus, mirum in modum, conflatur. Illis principium vivum actuosumve inest, hi passivi sunt, et a prioribus ex toto pendent; quae potestate nutrimentum ab humoribus in auctum suum aliquosque machinae usus deducendi sunt praedita.

Systema vasculosum, quod fluida continet, per nervos tantum, quatenus statum motus immutant, affici potest. De hoc, ut opinor, nemo ambiget. Si secreciones igitur a systemate nervoso pendeant, et hoc sistema potestate in agendi vasis conciliet, hanc actionem indolem humoribus secretis propriam dare patescat. Secretiones autem a potentia systematis nervosi pendere, nos non soli existimamus; idem enim putarunt nonnulli e principibus medicorum, viz. Hoffmannus, &c.

In primis autem, secreciones ab actione vasorum pendere documenta suppeditant, secreciones statu in fano rite consideratae, et mutatio illis, absque ulla mutatione structurae suae morbida, illata. Namque lac in mammis, per terrorem subito incussum, momento mutari, et hepar quoque, ut ingeniosus D. McLurg perhibet, copiam bilis maiorem irato secernere, et affectus denique animi in bilem non parum posse, multis in exemplis clare videre est. Hic rogare liceat, quemnam affectus animi in humores, quos vasa vehant, praeter-

quam

quam actionem vasorum, quae humores continent, immutando, effectum edere possint? Commotiones autem animi et affectus actionem vasorum, quasi pro arbitrio, regere et moderari neminem latet; et idem modestia pudorve ruborem, et timor pallorem, inferendo demonstrant. Hinc affectus animi in Sedantes et Stimulantes jure distinguui solent; partibus glandulosis, in quas affectus sedantes potestatem edant, actio vasorum imminuitur, et copia humoris in partibus hujuscemodi secreti minor evadit. Affectiones vero stimulantes longe diversum praestare confuerunt. Sedantia et stimulantia, partibus corporeis ubi glandulae sitae sunt admota, humores secretos, actionem vasorum fecernentium imminuendo augendove, afficiunt. Ita frigus copiam perspirationis imminuit, dum calor eandem auget. Varietas motuum, quos nervi in arteriis majoribus movere queant, propemodum infinita est; uti scriptores, qui doctrinam pulsus executi sunt, testantur.

Et eandem varietatem in actione vasorum minimorum accidere posse, non est cur dubitemus. Documentum hujuscemphenomena inflammacionum topicarum tibi sufficient; namque pulsationes, parte inflammata, quae antea ex toto defuerint, plane perfenties. Cum nervos originem animantium

lium motibus praebere compertum sit, nonne hos motus, pro structura organi, in quod nervi agant, diversos effici probabile est? Si etenim illa vasorum tunica, cui potestas musculosa sit, partibus in quibusdam quam in caeteris infirmior fuerit, eae partes actionem debiliorern habeant, necesse est. Quinetiam, si tunica elastica, quae, actionem vasorum potestati musculofae obfistendo, adjuvare videtur, (namque alternationem distensionis a tunica elastica, et contractionis a tunica musculari pendens, actionem vasorum in unaquaque corporis parte constituere verisimile), viribus partibus in diversis variaverit; causa gravissima est, cur varietatem actionum in vasibus ab hoc fonte orituram esse speremus. Hinc igitur varietatem motuum, a viribus harum tunicarum mutuis pendentium, editum iri cogere licet; tunicas autem vasorum secernentium potissimum, quantum ad hanc res circumstantes, quarum modo meminerimus, attineat, inter se ferre admodum probabile est.

Hallerus in sententiam hujus non dissimilem concessisse videtur, et judicio ejus fidem non absque causa plerumque habemus. Haec verba in Sect. ccxxi. reperies. “Densitates arteriarum minimarum, et densitates pariter oscularum secretiorum diversas esse posse, nihil repugnat, et suadet in majoribus ramis certa observatio.” Insuper,

super, vasa, uti supra comprehensum, ramulos suos, modo longe diverso, diffundunt; quod in praeparatis pulcherrimis a Heusonio confectis saepe vidi. Haec varietas permagna Hallerum quoque non fugit, “ Aspergillum, in § ccxix. inquit, in liene referunt arteriolae rubrae, confertim ex trunculis oriundae, penicillum in intestinis, serpentes in renibus, stellam in hepate, cincinnum in teste, circulum in uvea, efficiunt. Non frustra vero fabrica hanc obscuritatem a Creatore factam esse non obscura conjectura est.” Haec ramulorum diversitas humores secretos haud dubie indole diversa impertitur; caeterum potestas humores nostros immutandi maxima actioni vasorum in glandulis diversis potissimum tribuenda videtur. Cullenus celeberrimus quoque in hanc opinionem, ut ex § cclxxxii. Physiologiae suae patescit, inclinat. “ Till we can discover these more clearly, we may, in the mean time, observe, that the action of the vessels of the secretory organ have a considerable share in determining both the quantity and quality of the secreted fluid.” Capacitas quidem sola orificiorum glandularum separantium, motusque velocitas, quam sanguis ex actione arteriarum majorum sibi adquirit, copiam, et forsitan nonnullis in exemplis dotes humorum

secre-

secretorum, quos, ut a massa generali separatos, considerare velimus, magna ex parte dare videntur. Quo hoc illustretur, materiam perspirationis per exercitationem augeri, et renes, vasis suis spasmus constrictis, humorem limpidum, mucilaginis expertem, quam aliquantulum putredinis, in sanguinem invadens, progenerare existimatur, secernere notabis. Haec autem, utpote quae plerumque a velocitate sanguinis circumeuntis minime pendeant, non multum in phaenomenis secretionis explicandis auxiliū nobis ferunt.

C A P. II.

In quo Conjectura prius dicta ulterius aperitur et explicatur.

Ratiocinio in capitibus praecedentibus in medium prolato inducti, vasa glandularum secernentia potestatem plasticam in humores exercere, et per hanc potestatem effectum suum in eosdem edere putamus. Quod hoc nobis firme persuadet, est potestas mutationes humoribus, pro modo suae actionis, vasorum majoribus indita, statusque diversus quorundam ex fluidis, quae cava humectent, quae dotibus suis, prout animal magis minusve sanum est, variare soleant, rite perpensus. Hanc opinionem ulterius sustentat facies puris diversa, a gradu inflammationis diverso, vel, ut alia verba

verba adhibeam, ab actione vasorum inflammatorum diversa, ex toto pendens. Gaberius differentiunculae in Miscellaneis Taurinensisibus auctor ingeniosus, pus per serum putrescens formari posse evincere conatur. In experimentis ejus reiterandis, phaenomena non aliter ita sese habere, quam ille retulit, compertus sum; illi tamen sedimentum feri putrescentis pro pure habendum haudquaquam assentiri possum. Analogiam inter illa strictiorem intercedere ingeniose monstrare conatus est; sedimentum tamen feri a pure multum et revera differre puto. Namque tempus diuturnum ad praecipitationem feri necessarium est; pus, contra, pauculis horis, brevissimo tempore tantum ad absorptionem partium fluidarum necessario, perfectissime eformatur, et ex hisce partibus absorptis faciem opacam sibi propriam, naturamque viscidam, acquirit. Haudquaquam negandum est, “pus laudabile fere semper foetere, sed parum et vix sensibiliter;” neminem tamen, qui hoc argumentum rite perpendit, in cavis amplioribus omnino dulce reperiri consueisse, speciemque tremoris lactei recentis prae sese ferre fugere potest. Serum sedimentum suum non prius deponit, quam foetor plane percipi possit, i. e. donec putredo non parum fuerit progressa. Pus

igitur.

igitur a putredine oriri, donec idem semper foeti-
ri probaveris, concedere non possumus. Pus
eodem modo, quo omnia fluida animalia, putri-
dum evasurum esse, compertum habemus; sed
non aequae, ac serum, putrefactare ostendere cona-
tus sum. Ratiocinio nostro forsitan adversari vide-
bitur, quod pus, quibusdam in exemplis, ubi bre-
vi tantum remanserit, admodum foetere reperi-
tur. Exemplum hujus praebet odor foetidus,
quem membrum mutilatum in prima post ampu-
tationem curatione emittit. Pus vero hunc odo-
rem ex rubris particulis ex arteriis parvulis elaben-
tibus, putredinemque provehentibus, sibi adqui-
rere puto. Hoc verum esse testatur, post aliquan-
tulum temporis, hisce vasculis clausis, foetor
decedens. Cum formationem puris a solidis
fluidisve fermentescentibus, ne minima quidem
ex parte, pendere demonstrare pro virili conten-
derimus; hic loci, ex quoniam eam pendere opini-
nemur, commemorare conveniet. In sententi-
am illorum, qui pus a vasis inflammatis secerni
contendunt, non inviti pedibus ibimus. Hanc
autem doctrinam, primus omnium, si rite remi-
niscor, in medium protulit Simponius, ille inge-
niosus, medicinae anatomiaeque Fani Sancti An-
dereae Professor. Huic viro celeberrimo, in quo-

dam opusculo de re medica, anno 1726 in lucem edito, ita ratiocinari visum est. “ In medicorum disceptationibus, nihil est celebrius quam ut tumores, fluores, morbosque omnes qui quidem evacuationibus omnino cedunt, ad humores statim pravos et malignos referant; nempe quia nescii fint, quomodo liquores aliam atque aliam induere possint formam, nisi vel fermentum aliquod, vel alia quaepiam nova insolensque materies interveniat. Verum, ut de hac re clarius certiusque constituatur ex familiarissimis maximeque pervagatis corporis humani casibus, postulo ut mecum velint vulneris, quod musculosae alicui corporis bene fani parti infligitur, ordinem et progressum paulisper expendere.

“ Primo igitur ex hiantium vasorum osculis pleno rivo profluit sanguis sincerus, deinde vi contrahente paulatim conniventibus, liquor tenuior et pallidior, donec tandem omnino coeant, cum levi partis fauciae inflammatione; quam sequitur mox sanguinis confluentis remora, et ex ea passim febricula, donec vasa dudum contenta denuo se sponte sua remittant, sinantque in communi vulneris alveo deponi liquida, ubi stagnantia et a calore corporis modice fota, in unam albidiā sui-que similem materiem, quam vulgus pus appellat, concrecant.

concrescant. Quod si jam pisum, vel ejusmodi quid, in plague fauces injiciatur, simulque arceatur aëris contagium, efficitur ut pus illud, quamdiu voles, fluat; prorsus ut hoc pacto repente existat emergatque nova quaedam glandula. Contra, si vulnus quoquo modo irritatur, nimiumve comprimitur, liquida ex integro mutabuntur, aliquaque speciem ferent, id quod chirurgi optime norunt. Hinc, sequitur facilius esse nihil quam ut corporis secretiones humoresque, sine ulla novae materiae vel fermenti accessione, mutata solum vasorum secernentium diametro numerove, immutentur.” Post hoc tempus D. Morgan idem argumentum fusius et felicissime executus est, uti a dissertatione ejus inaugurali de Puopoiesi excellente, anno 1763, in vulgus edita, patescit, ad quam lectorem, si argumenta idonea scire velit, relegamus. Quinetiam, curatio partium inflammatarum chirurgica pus secretionem esse, ab actione vasorum pendentem, testatur; namque experientia certam puris conditionem cum certo partis inflammatae statu conjungi docet. Igitur, inflammationis imminuendae augendaeve causa, applicationes sedantes stimulantefve adhibere consuerunt. Si fluidum, contra, extravasatum, in pus converteretur, tali curandi rationi haud-

quaquam

quaquam insisterent, sed pro hisce medicamentis, quae actionem vasorum inflammatorum immutare valeant, ea, quae fermentationem promoverent, adhibenda diligentibus cautique curarent.

Heusonius eandem in sententiam concessit, (paginas systematis ejus lymphatici 117. 118. 119. vide), et insuper, nonnullis in exemplis, ab arteriis exhalantibus, e. g. ubi pus in cavis absque ultra exulceratione reperitur, secerni affirmavit. Doctrina fermentationis jam expulsa, hoc fere vice demonstrationis fungi videtur, et pus secretionem esse, ab inflammatione suppurationem concomitante ex toto pendente, et talibus in exemplis ab arteriis exhalantibus formari haud dubie evinxit.

Cum igitur arterias exhalantes, sub rebus circumstantibus diversis, eodem modo effectus diversos, quo arterias majores, modo actionis suae immutato, edere constet, nihil aliud restat secretiones, plerumque saltem, per actionem vasorum secernentium peragi probandi causa dicendum, quam ut hocce ratiocinium ad has glandulas, quas, ut magis complexas absolutasque, consideravimus, transferamus. Hoc aliqua ex parte jam factum est, cum glandulas ex toto vasculofas esse affirmamerimus;

remus ; namque, licet ramulos vasorum in glandulis diversis diversos esse, &c. notaverimus; haec tamen aliaeque varietates, quae haud dubie in structura illarum reperiundae sunt, tales tantum sunt, quales illis, utpote quae mutationi majori massae generali inferendae destinatae sint, idoneas esse fateberis. Caeterum, aliquid forsitan similitudinis arterias exhalantes inter et vasa glandularum fecernentia intercedere, opinatur Hallerus illustrissimus. Namque, in § XLIII. rogavit : “ Annon ad finis est exhalanti fabricae omnis secretio in glandulas veras sive cryptas ? ”

Cum autem natura fluidorum, quae cava irrorant, uti supra positum, ab hac simplici structura vasis exhalantis organica pendeat, ita forsitan doles omnium humorum secretorum specificae ab hisce arteriis, quae ductus glandularum excernen-tes continuatae constituant, eformantur.

Hanc autem opinionem ab hoc aliquantulum sustentari, uti spero, credere licebit, quod secre-
tiones, per mutationes circuitus sanguinei generalis,
haudquaquam necessario afficiuntur ; propterea
quod ductus excernentes longe removentur, ve-
locitasque sanguinis per contorsiones arteriolarum
varias prius multum imminuitur. Haec opinio for-
fitan

sitan ab hoc nonnihil confirmari potest, quod secretiones glandularum, ductibus suis excernentibus stimulatis, i. e. actione sua intensa, augentur.

Lymphatica vasa glandularum lymphaticarum, necnon lienis et thymi, si ratio hujusce doctrinae habebitur, eodem officio, quo ductus aliarum glandularum excernentes, fungi concedes: Namque haec vasa consilio non dissimili respondere videntur.

Antequam hanc dissertationem ad finem perduco, ut illis, qui me studiis in medicis prosequendis lubentes adjuverint, gratias habeam, animus non ingratus suadet. In primis commemorandus est Heufonius, cuius amicitiae consiliisque fraternis tot tantaque debeam, quique, operibus naturae obscurioribus explicandis illustrandisque intentus, ante diem, summo et forsitan irreparabili cum generis humani damno, proh dolor! extinctus est. Nec viri illustres mihiique quidem amicissimi, D. Georgius Fordyce, et nosocomii Middlesexiae chirurgi medicique, silentio praetereundi videntur. Grates denique celeberrimis Academiae Edinburgensis Professoribus, quorum omnium benevolentiam, adversus me toties adhibitam,

bitam, grata memoria prosequor, et usque prosequar, potissimum vero D. Black, viro non solum doctrina singulari, sed virtute omnigena, nobilitato, sunt persolvendae.

F I N I S.

E R R A T A

Pag. 7. l. 9. *dele* quam

P. 42. l. 5. *pro* lime *lege* like

P. 43. l. 20. *ante* as the yet, &c. *lege* as certainly

P. 54. l. 10. *pro* fabrica *lege* fabricae

P. 55. l. 18. *post* mutationes *lege* in, et *post* humoribus *lege* efficiendi

СИАНДАЛЫ

Следует, чтобы в сюжете было нечто
важное для героя, чтобы он знал, что
он делает, и чтобы он знал, что
он делает, и чтобы он знал,

СИАНДАЛЫ

